

2/92

IDIBVS IVNIIS

MCMXCII



RVMOR VARIVS



TOMVS 15

FASC. 93

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADIS
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 15.--
In Germania	DM 24.--
In Austria	ÖS 170.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 22.--
In terris trans	
maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

C. Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 15.--
Deutschland	DM 24.--
Oesterreich	ÖS 170.--
übriges Europa	Fr. 22.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

C. Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Hodie denuo de re, quae non est nova, locuturus sum, vel potius adversis condicionibus loqui cogor, quia novissimo tempore inopia quaedam valde ingravescit, inopia scilicet symbolarum idonearum ad publicandum nobis missarum gravis est. Aperte dicam: Aestus omnino recessit, in fundum dolii advenimus, in horreo inanitas vasta diffunditur, periculum est, ne fons brevissimo tempore plane arescat.


Anno 1988° decimum anniversarium RVMORIS VARIII florentis celebravimus. Nunc autem periculum est, ne anniversarium quintum decimum non videamus, quod maxime doleremus, imprimis propterea, quod semper novos lectores RVMOREM VARIVM subnotantes recipere possumus.

Scilicet nos redactores ipsi symbolas componimus. Sed non semper nobis, quibus negotia officiaque cottidiana agenda sunt, tempora permittunt, ut omnia scripta soli componamus. Praeterea RVMOR VARIVS iucundior, vividior, varior (ut nomine suo dignus sit) est, si voces plurium auctorum continet.

Itaque a vobis petimus, ut succurratis et nobis denuo multas symbolas idoneas ad publicandum de quibuslibet rebus mittatis! Quae si acciderint, forsitan libelli aliquando sine maiore retardatione edi poterunt.

Nondum RVMOR VARIVS mortuus est, et nos redactores quantum ad nos attinet magnam operam dabimus ad exitum eius prohibendum. Sed auxilii vestri quoque, amicae et amici, egemus. Non legentibus, sed imprimis scribentibus caremus. Ut Musae vos osculentur -ut dicitur- et vobis inspirationem donent (et nobis quoque scilicet)!

Valete!


Daniel Weissmann



In primo libello RUMORIS VARIi anni 1992ⁱ Diabolus typographicus (qui nostra lingua 'Druckfehlerteufel' dicitur) pluries nobis illudit. Certe animadvertistis in prima pagina non 'Idibus Apriliis', sed 'Idibus Aprilibus' et in pagina 9^a versu 31^o 'Iesuita' pro 'Iusuita' scribere oportuisse. Denique in carminibus Spiritualibus Afrorum in paginis 14^a et 15^a divulgatis per errorem notae musicae permutatae sunt. Notae igitur paginae 15^{ae} carmini paginae 14^{ae} ('Non scitur') attribuendae sunt et versa vice. Praeterea in carmine titulo 'Non scitur' scribendum est 'Non scitur, quid acciderit mi'. Scilicet etiam carminis titulo 'Qualem, Deus, diem' versio Latina a Martino Meier, cuius nomen ibi deest, composita est. Quorum errorum veniam a vobis petimus, cari legentes!

Domus editoria



DE CATHARINA SAPIENTI

Hic narratur, domini, fuisse olim Panhormi (=Palermo) divitem mercatorem. Is autem mercator filiam habebat, quae, cum a lacte depulsa esset, tantam sapientiam nacta est, ut de omni re, quae domi fiebat, sententiam suam diceret. Pater, indolem filiae conspiciens eam 'Catharinam Sapientem' vocavit. Omnis generis linguam discens omnisque generis librum legens nemo eam adaequabat.

Cum sedecim annos nata esset, mater eius mortua est; tantus dolor virginem afflixit, ut se in cubiculo suo includeret neque iam exire vellet. Cenabat ibi intus, dormiebat ibi intus; neque vero iam exstabat ambulatio neque theatrum neque delectatio.

Pater eius, qui pro ea sola unica filia vivebat, cogitavit consilium habendum esse. Convocavit omnes nobiles (nam quamvis mercator esset, inter nobiles multas amicitias

colebat) et: "Domini", inquit, "scitis me filiam habere, quae est pupilla oculorum meorum. At post mortem matris reclusa manet sicut cattus neque acumen nasi quidem foras ostendit."

Consilium autem respondit: "Filia tua universo mundo grandi sapientia sua nota est. Aperi ei magnam scholam, ut alios docens fortasse illam cogitationem e mente sua expellat."

"Placet mihi idea", dixit pater et filiam vocavit. "Audi, filia mea! Tibi omnem oblectationem spernenti cogitavi scholam aperire atque tu eris praeceptrix. Placetne tibi?" Catharina statim assentitur. Ipsa magistros instruere coepit atque schola instituta est. Foris tabulam affixerunt: 'Qui ad Catharinam Sapientem, ut discat, ibit, habebit scholam gratis.'

Statim plurimi iuvenes venerunt, pueri et puellae, et illa eos ad mensas considerare iussit, alium iuxta alium sine respectu ullius. "Sed", inquit, "iste carbonarius est." et nihil refert. Carbonarius iuxta filiam principis considerare debet. Qui prior est, potior est.

Et schola incohat. Catharina flagellum habebat cum clavis in fine. Aequaliter omnes docebat, sed qui pensum suum non absolvit, verberabatur.

Fama eius scholae usque in regiam pervenit et filius regis quoque eo ire voluit. Vestem pretiosam induit, intrat, locum invenit et Catharina eum considerare iubet. Cum eius res acta est, Catharina eum de problemate interrogavit. Filius regis respondere nescivit. Pam! Ei alapam dedit, ut ei adhuc bucca ardeat.

Filius regis ardens surgit, foras currit, ad regiam festinat et patrem suum adit. "Gratiam da mihi, domine rex! In matrimonium ire volo! Uxorem volo Catharinam Sapientem."

Rex patrem Catharinae vocari iubet. Pater venit: "Domine rex, impera, obtemperabo!"

Tum rex: "Leva te. Filius meus filiae tuae amore captus est. Quid agamus? Matrimonio eos coniungamus."

"Ut vis, bone rex. Sum autem ego mercator et filius tuus regiae stirpis est."

"Nihil refert: est filius meus, qui eam vult..."

Mercator domum rediit. "Catharina, est filius regis, qui te sibi in matrimonium petit. Tu quid dicis?"

"Eum prendo."

Lana pro culcitis eis non deficiebat neque arcae vestiarum: abinde octo diebus omnia necessaria praeparata erant. Filius regis ei duodecim virginum comitatum dedit. Aperuerunt ecclesiam regiam et nuptias celebraverunt.

Nuptiis factis regina virginibus dixit, ut nurum regiam exutum irent et ad dormiendum pararent. Sed filius regis dixit: "Non opus est aliquis, qui eam exuant neque qui induant, neque qui vigilent ante portam."

Ita solus cum uxore remanens ei dixit: "Catharina, recordarisne eius alapae, quam mihi dedisti? Tene paenitet?"

"Mene paenitere? Si vis, tibi aliam do!"

"Quomodo? Te non paenitet?"

"Ne somnio quidem!"

"Neque paenitentiam agere vis?"

"Quis id cogitaret?"

"Itane res se habet? Nunc videbis!"

Et incipit sibi funem praeparare, ut eam in cellam subterraneam mitteret.

Cum funis paratus esset: "Catharina, aut paenitentiam agis, aut te mitto in cellam subterraneam!"

"Ibi mihi frigidius erit", Catharina ei respondet.

Et filius regis eamprehendit et in cellam subterraneam mitti sine ullo comitatu praeter mensulam, sellam, urceolum aquae ac buccelam panis supra.

Postero die mane pater et mater venerunt, sicut adsolet, ut nuptam salutarent.

Intrari non potest", filius regis ait, "Catharina non bene se habet."

Postea ad cellam subterraneam aperiendam iit. "Quomodo noctem degisti?"

"Belle frigide!" Catharina respondit.

"Cogitasne de alapa, quam mihi dedisti?"

"De ea cogito, quam tibi dare debeo."

Duo dies praeterierunt famesque eam opprimere coepit. Nesciens, quid faciendum, perticam e thorace exemit atque foramen in muro terebrare coepit. Excavat, excavat, post viginti quattuor horas aliquid lucis videre coepit et se reviviscentem sentit. Amplificat foramen et oculum admovet. Praetereuntem vidit scribam patris sui.

"Domine Thoma, domine Thoma!"

Thomas autem non intellexit, quid illa vox, quae e muro

venit, esse posset.

"Sum ego: Catharina Sapiens. Dic patri meo me cum eo statim loqui velle."

Thomas cum patre Catharinae revertit et ei punctum muri monstravit.

"Mi pater, haec est sors mea, sum in cella subterranea. Debes cuniculum a tabulato subterraneo villae nostrae hucusque agere vicesimo quoque passu trabe et lampade ornatum, cetera ipsa curabo."

Mercator adnuit et interim ei per illud foramen gallinas, pullos cibosque validos suppeditare coepit.

Ter in die filius regis apparebat apud cellam subterraneam:

"Catharina, tene paenitet alapae, quam mihi dedisti?"

"Quid me paenitere? Cogita potius de alapa, quam tibi dabo."

Interim caementarii laborabant, ut cuniculum subterraneam agerent vicesimo quoque passu trabe et lampade ornatum.

Ubi primum paratus fuit, Catharina per eum semper, cum filius regis, postea quam apparuit, ostiolum cellae clauserat, domum patris sui transiit.

Post aliquot dies filius regis satis huius rei habere coepit. Aperuit ostiolum cellae. "Catharina, eo Neapolim. Nonne mihi quid dicere vis?"

"Valde gaudeo, delecta te, cum advenies, scribe mihi."

"Ergo eo?"

"Quid? Adhuc moraris?"

Et filius regis profectus est.

Cum primum ostiolum cellae clausit, Catharina ad patrem suum cucurrit. "Papa, tempus est, ut me adiuves. Opus est mihi navicula ad profiscendum parata, dispensatrice, famulabus, vestibibus solemnibus, quae Neapolim mittantur. Ibi villam locent iuxta regiam meque exspectent."

Mercator navem proficisci iussit. Filius regis interim navem bellicam praeparari iussit et profectus est ipse. Cum illa e podio patris filium regis proficiscentem vidit, aliam naviculam ascendit et ante eum Neapoli fuit: parvae naves, ut scitur, celeriores sunt quam magnae.

Neapoli Catharina apparebat in podio villae suae, in dies pulchriore veste splendens.

Filius regis eam vidit atque exclamavit: "Quam similis est Catharinae Sipienti!" et amore incenditur.

Legatum misit.

"Domina, filius regis te visitare velit, si tibi non incommodum sit."

"Benigne!" respondit.

Filius regis venit pretiose indutus, solemniter se salutarunt, dein consederunt, ut colloquerentur.

Filius regis dixit: "Et tu, domina, esne adhuc caelebs?"

"Adhuc caelebs. Et tu?"

"Ego quoque. Num mihi hoc tibi dicendumst? Similis es, domina, puellae, quae mihi Panhormi placuit. Te uxorem vellem."

"Id mihi maximo gaudio est, regis fili."

Abinde octo dies post nuptias celebraverunt.

Post novem menses Catharina puerum peperit, qui erat bellissimus.

"Quod nomen ei damus?" filius regis interrogavit.

"Neapolis", dixit Catharina.

Et ei dederunt nomen Neapolis.

Duo anni praeterierunt. Filius regis proficisci voluit. Uxori regiae haec res valde displicuit, sed ille omni modo proficisci voluit. Ei litteras confecit, quibus dicebatur esse primogenitum suum et aliquando regem futurum. Et profectus est Genuam.

Ubi primum profectus est, Catharina patri suo scripsit, ut statim naviculam supellectile, dispensatrice, famulabus omnibusque ceteris rebus ornata Genuam mitteret, ut villam iuxta regiam Genuae locarent eamque exspectarent. Mercator naviculam oneravit et Genuam misit.

Etiam Catharina naviculam ascendit et Genuam venit ante filium regis. Sibi villam Genuae instruxit et cum filius regis vidit istam bellam puellam regaliter pecticam, cum gemmis et divitiis, exclamavit:

"Quam similis est Catharinae Sapientis et etiam uxori meae Neapolitanae!" et ei legatum misit.

Se eum magno cum gaudio recipere affirmavit.

Cooperunt colloqui.

"Tu autem caelebs es?" filius regis interrogavit.

"Vidua", respondit Catharina, "et tu?"

"Ego quoque viduus. Cum uno filio. Scisne autem te simillimam esse dominae, quam Panhormi cognoveram, atque dominae, quam Neapoli cognoveram?"

Et sic, ne moremur, octo diebus post maritus et uxor erant.

Post novem menses Catharina alterum puellum peperit pulchriorem quam primum. Filius regis felix erat.

"Quod nomen ei damus?"

"Genua!"

Et Genuam eum vocaverunt.

Duo anni praeterierunt et filium regis cupiditas proficiscendi denuo cepit.

"Proficisceris et me relinquis sic cum filio in brachiis?" ei dixit uxor regia.

"Tibi litteras conscribo", ei affirmat filius regis, "eum esse filium meum atque principem."

Cum ille praeparationes curavit, ut Venetias proficisceretur, Catharina Panhormum patri scripsit aliam naviculam petens cum famulabus, dispensatrice, supellectile, novis vestibus omnibusque rebus. Navicula Venetias profecta est. Filius regis profectus est nave bellica; uxor regia profecta est navicula et ante eum advenit.

"Mehercle!" exclamavit filius regis cum illam bellam dominam vidit, quae in fenestra apparebat. "Ista quoque omnino similis est uxori meae Genuensi, quae omnino similis est uxori meae Neapolitanae, quae omnino similis est Catharinae Sapientis! Sed quomodo esse potest? Catharina Panhormi est in cella inclusa; Neapolitana Neapoli est, Genuensis Genuae est; atque ista Venetiis est..."

Et legatum misit et postea eam visitatum iit.

"Scisne vero te tot feminis similem esse, quas novi: uni Panhormi, alteri Neapoli, alteri Genuae..."

Et sic solitum colloquium continuatum est:

"Esne caelebs?"

"Non, sum vidua. Et tu?"

"Ego quoque viduus...cum duobus filiis..."

Et post octo dies nuptias celebraverunt.

Hac vice Catharina puellam peperit bellam tamquam solem et lunam.

"Quod nomen ei damus?"

"Venetia."

Et Venetiae nomine baptizata est.

Duo anni praeterierunt.

"Scito me Panhormum reverti debere. Sed antea quam proficiscor tibi litteras tales et tales relinquo: istam esse filiam meam et virginem regiam."

Profectus est, sed Catharina ante eum Panhormum pervenit. iit domum patris sui, transgressa est per cuniculum et in cellam subterraneam revertit.

Filius regis, qui modo advenerat, ad cellam aperiendam cucurrit. "Catharina, quomodo vales?"

"Ego? Bene!"

"Tune paenitentiam egisti eius alapae, quam mihi dedisti?"

"Tune cogitasti de ea alapa, quam tibi dare debeo?"

"Age paenitentiam! Scito me alioquin in novum matrimonium iturum!"

"I modo! Quis te retinet?"

"Sin autem paenitentiam agis, rursus uxor mea eris."

"Non agam."

Filius regis igitur declaravit uxorem suam mortuam esse et in novum matrimonium ire voluit. Scripsit ad reges, ut sibi imagines filiarum mitterent. Imagines advenerunt; optima erat filiae regis Britanniae. Filius regis nuntium misit, ut mater et filia nuptias effectum venirent.

Panhormum tota familia regia Britanniae advenit ac postero die matrimonium fuit.

Catharina interim quid agit? Tres bellas vestes regales praeparari iussit pro tribus filiis suis Neapoli, Genuae, Venetiae. Ipsa vestes reginae induit, quae erat, Neapolim ut primogenitum regium vestitum et Genuam et Venetiam ut filium filiamque regis vestitos manuprehendit et carruca regali ad palatium vecta est.

Agmen nuptiale cum filio regis filiaque regis Britanniae appropinquavit et Catharina filiis suis dixit:

"Neapolis, Genua, Venetia, ite ad manum patris vestri osculandam!"

Et pueri cucurrerunt ad manum filii regis osculandam.

Filius regis, cum eos vidit, non potuit, quin se victum agnosceret. "Haec est alapa, quam mihi dare debuisti!" exclamavit et filios amplexus est.

Virgo regia Britanniae sicut columna salis remanet: relinquit eos et aufugit.

Catharina marito totum mysterium dominarum inter se similitum explanavit et filius regis non desiit veniam petere.

Sic vivebant felices et contenti.

Et nos hic sumus, qui dentibus frendimus.

E collectione 'Fiabe Siciliane' Itali Calvini transvertit
Robertus Maier

Carmina Spiritualia Afrorum (Negro Spirituals)

Resurgemus nos

(We shall overcome)

Re-sur-ge-mus nos — re-sur-ge-mus
nos — , re-sur-ge-mus nos o - lim —
O — cor - de - me - o e - go cre -
do Re- sur - ge - mus nos o - lim.

2. Deus aderit, Deus aderit, Deus aderit olim.
O, corde meo ego credo:
Deus aderit olim!
3. Non timemus nos ...
4. Verum liberat ...
5. Una imus nos ...
6. Afri nobiscum ...
7. Pax in vita sit ...

Versio Latina: Martin Meier

PIGGIA

Pioggia cristallina: sei benessere, sei vita!
Chi ti beve si ristora.
Pioggia: schizzi e simpatia.

Anna Granata

PLUVIA

Tu, pluvia, es perlucida, tu es crystallina: sic es
vita, valetudo bona nobis! Teque bibentes
semper se renovant. Pluvia: aspergo et gratia es tu.

Anna Granata, puella XI annorum Italice scripsit.
Eius patruus Johannes Granata in Latinum convertit



LECTURA DANŦIS

Nonne gubernat amor quod vivit et undique splendet?
Nonne movet solem et cetera sidera amor?
Hoc natura scit, hoc intelligit omne creatum,
hoc norunt flores, hoc volucres repetunt.
Solum homines, quibus est (dicunt) sapientia rerum,
immiti urgentur terribilique odio.
Dive poeta, tuus melos est mirabile versus,
sed tantum versus futiliter resonans.

Iosephus Tusiani Neo-Eboracensis

FOCUS

Si mota est moriens favilla folle,
rursus pruna micat venusta et ardet,
sed quamquam voco te, iuventa cara,
annis sub gelidis manes sepulta.

Iosephus Tusiani Neo-Eboracensis

Facete lepideque dicta



"Mea verba repeto:

Victus es! (schachmatt) "



Quomodo Latini ver sacrum voverint

Antiquis temporibus rustici Latini ver sacrum vovere solebant, ut in deorum favorem venirent. Omnes cives die constituta in nemus sacrum conveniebant. Sacerdos deos invocabat, ut omnia mala a civitate averterentur. Poma futura Pomonae deae sacrificabantur, segetes futurae Cereri deae promittebantur. Omnia pecora, quae vere proximo parta erant, Iovi Martique deis immolabantur. Liberi quoque, qui eodem vere nati erant, deis sacri erant. Et pueri et puellae viginti annos domi parentum vitam agebant. Tum virgines adolescentibus nupserunt. Parva dote a parentibus data iuvenes patriam relinquebant ad novam civitatem condendam. Mars deus, dux viarum, iuvenibus saepe aliquam

bestiam mittebat, ut in itinere dux haberetur. Persaepe iuvenes e nomine illius bestiae nominabantur. Ita gens Hirpinorum nomen suum e hirpo (=lupo) trahebat vel Picentes e nomine pici se nominabant.

Barbara Maier

Quomodo veteres Romani mortuos sepeliebant

Lex Romana iubet corpora mortuorum extra moenia sepeliri. Cum corpora pauperum in monte Esquilino nocte sepelirentur, corpora divitum magnis honoribus afficiuntur. Corpus hominis nobilis tres dies in atrio ante oculos proponitur. Facies mortui cera operata est. Dies funeris a praecone indicitur. Tum magnus numerus hominum convenit ad pompam funebrem, quae sane magno sumptu est.

Et tibicines et cornicines et praeficae nenias canentes pompae anteeunt. Nonnulli mimi homines lugentes saltibus delectantes sequuntur. Cum pompa in forum advenit, vir quidam, praecipue unus e necessariis, laudationem funebrem habet. Tum corpus ad viam Appiam fertur et in rogo comburitur. Corpore cremato flammae rogi vino exstinguuntur. Ossa mortui in urnam colliguntur et in sepulcris conduntur. Multa monumenta titulis ornata secundum viam Appiam exstructa sunt. Tituli nos multas res de moribus Romanorum docent. Ita in monumento cuiusdam bonae matris familias titulus hic legitur: Domi mansit, lanam fecit.

Barbara Maier

De salis usu apud veteres Romanos

Antiquis temporibus sal apud Romanos iam notus fuit. Romani salem e mari gignebant. Ancus Marcius rex prope Ostiam, haud longe ab ore Tiberis fluminis, salinas magnas instruxit. Etiam in terra umida multae venae salis inveniebantur. Permulti servi in fodinis salem effodientes vitam miserriam agebant.

Coqui Romani cibos libenter sale condiebant. Etiam hodie in museis salina vel salilla aspicere possumus.

Persaepe medicamenta e sale parabantur. Romani morbos hominum et pecudum sale sanare conabantur. Plinius Secundus Maior, vir doctus, recte dicit: Nihil corporibus utilius est quam sol et sal.

Homines generis nobilis nonnumquam salis mercatores erant. Ita genti Liviae cognomen Salinatoris erat.

Inter vias Romanas via nomine Salaria praeclara fuit. Ferebat enim Roma, a porta Collina, ad urbem Reate, caput Sabinorum. Qua via Sabini salem ex urbe Roma ad suos transportabant.

Barbara Maier



Schola Magistra vitae illi

(Quaelibet sive personarum sive locorum sive temporum designatio fortuita habenda est).

Iam tricesimum annum magistra, cui Gerbi cognomen erat, Francogallicum sermonem adulescentes in lycio docebat: quod vero officii satietate tenebatur, minime dissimulabat. Ut rude, ut ita dicam, donaretur, tantum per sex annos ei munere fungendum erat; nullo modo autem, ut aequo animo tantillum temporis spatium obduraret, persuaderi ei poterat. Pauci quidem collegae mira benevolentia atque comitate praediti (aditum enim sermonemque eius assidue ceteri defugiebant) in hanc opinionem ipsam patienter inducere conabantur, quo gravatius ac repugnantius explerentur, eo magis ardua et molesta ministeria fieri solere. Nemini autem aures ipsa praebebat, immo acerbitatis suae virus apud discipulos evomebat, agendique rationem in dies absurdiorum atque indigniorum adhibebat. Hic vero nonnulla morum eius exempla afferre operae pretium erit. Dies erat quo, mense vertente, universi eiusdem lycii discipuli ad concilium vocarentur: quod quidem ad classem eius pertinebat, e triginta discipulis viginti, ne tempus perperam conterrerent, domi manserant, octo conventui interesse placuerat,

duo (condiscipulis multo seduliores) in auditorio cum magistra ut exercebantur morari constituerant: nulla enim lex, quo minus tali modo gererent, prohibebat. "In malas oras ite, assentatores, simulatores!" necopinato forore magistra exclamavit. "Mene duobus tantum discipulis scholam explicare? Mercede, ecastor, praeceptorem quendam, qui intra privatos parietes vos instituat, auctoritate atque conducite! Quin odio vobis sim atque idcirco, ut molestiam mihi afferretis, in auditorio manere constitueritis, minime ipsa dubito!" Alter e duobus adolescentibus, magno animi motu perturbatus, in lacrimas effusus est; alter, iram urgentem vix cohibens, constanti vultu fenestram et, quae ultra erant, intueri perrexit. Quattuor fere mensibus post hunc tristem squalidumque casum, adolescentes aequandorum bonorum fautores, ut gentibus Americae, quae dicitur Latina, pro libertate dimicantibus sese assentire significarent, schola per unum diem abesse decreverunt. Pridie vero magistra Gerbi Furiae similis in auditorium irrupit discipulisque atrocia supplicia, nisi scholam die insequenti deseruissent, minitata est. Communistarum autem factionis fautricem illam fuisse cavete, quaeso, credatis (quin immo ad fascium restituendorum suasores potius inclinabat); re quidem vera admodum varias ne officium suum expleret causas fingere didicerat. Pauci autem e discipulis in opere cessaturi erant: plerique vero, sive quod tumultus participes esse nolebant, sive, quod ne a parentibus vituperarentur, valde timebant, in scholam ire maluerant: tantum tamen in se magistrae verba persuasionis habuerunt, ut nemo postridie in lycio adesset. Denique morosa femina, disse- rendi explanandique munera graviora quam pro viribus suis esse rata, et machinam impressas voces referentem et phonographicos orbes, quo pueri, ut ipsa dicebat, emendatam francogallici sermonis locutionem ut expeditius acciperent, emenda curavit: qua re cantuunculis per totum matutini temporis spatium discipulorum auriculae fatigabantur, dum ipsa per andronem inquieta vagatur et custodes atque collegas in praesentia ab opere vacantes nova atque absurda rogitando obtundit. Postremo, in discipulorum scriptis reprehendenda annotare, id inane sterileque temporis impen- dium esse iudicavit. Ex eo scriptas igitur interrogationes, quibus tribus modis respondere liceret discipulis, enodan-

das proposuit: areola ad rectam responsionem pertinens unicuique adolescenti miniata cerula notanda erat. Librum vero magistra Gerbi possidebat, in cuius parte extrema explanationes ad singula pensa attinentes ordinatim transcriptae erant. Quo artificio usa, semihorae spatio vel sexaginta scripta corrigere valebat. Quodam vero funesto exitiisque die, copiosas ipsam lacrimas effundentem crinesque scindentem unus e collegis offendit: schedae a discipulis compositae, horrendum in modum caeruleis notis foedatae, in tabula passim iacebant. Dum enim in extrema libri sui parte rectas quaerit solutiones, paginam ad aliam exercitationem pertinentem, qua festinatione fuerat, pro emendandi regula misella magistra sumpserat.

Orestes Carbonero



**Memoria teneo ferias, quas LXX annis ante
in vico "Andeer" egerim**

Nunc quidem vitae meae enarrationi quaedam insero, quae evenrunt mihi novem annos nato, cum in vico nomine "Andeer", qui situs est in valle Raetica, quae appellatur "Schams", aestatem anni MCMXXII agebam invitatus ab agricola divite, qui patris mei tempore servitii militaris fuerat contubernalis.

Quamvis anni ab illo tempore iam praeterierint LXX, tamen satis bene illius aestatis memini dominique Luttae eiusque familiae. Parentes mei, frater et sorores meae egoque tum habitavimus Curiae, quod caput est pagi "Graubünden."

Primo vere illius anni MCMXXII gravi morbo, nam inflammatione pulmonis convalui, attamen adhuc debilitatus eram, sic ut parentes sperarent me posse in vico "Andeer" et apud familiam divitem domini Luttae sub Iove frigido (in frischer Luft) vitam rusticam agentem novas vires recuperare, at ego puer novem annorum satis tristis eram prospectu matrem meam amatam relinquendi, tamque procul et per totam aestatem a matre remotum manendi.

Nihilominus dies tristis advenit, quo proficiscendum mihi

esset viā ferratā. Mater, quae ad stationem Curiensem me comitata erat, ultimum, ut timebam, me est amplexa, et currum ferriviarium conscendi. Tristi animo viā ferratā vectus sum ad vicum Thusis, in cuius statione iam me exspectaverat dominus Lutta, quod nomen eius erat. Dominus ille amabilis statim me cognovit invitavitque, ut pilentum (Kutsche) eius equo iunctum conscenderem et iuxta se considerem. Operimentum mihi dedit, ut genua operirem, quia caelum satis erat frigidum. Tum breviter voce quadam, quod nostro sermone est "hü" equum monuit, ut ire et trahere pergeret. Primo via introduxit in vallem angustam rupibus praeruptis et horridis inclusam, cuius nomen est "Viamala", atqui non ita multo post ex illa valle exiimus et advenimus in vallem satis amplam et amoenam, quae appellatur "Schams". Equus sine ulla verecundia pepedit (furzen), quod mirabar, at dominus Lutta id ne audivisse quidam videbatur. Horā circiter post ad vicum "Andeer", metam nostram, pervenimus, ibique a tota familia tam cordialiter sum acceptus, ut tamquam domi apud matrem me esse putarem omnisque tristitia mea prior evanesceret.

Vesperī tota familia, servi omnes et ancillae in coquilina magna ad longam mensam sedebant cenatum meque societas hilaris tot hominum delectabat. Omnes uno tempore sermocinari videbantur. Mihi quoque officium et cultus tributus est (wurde Aufmerksamkeit erwiesen), cum nemini ignotum fuisset me illo ipso die a Curia advenisse, ut ferias aestivas apud se agerem. Sciebant etiam me novem annos natum esse, discipulum ludi litterarum (Primarschule) in urbe Curia. Inter omnes, qui sedebant ad longam mensam, una dominula iuvenis et pulchra mihi placebat imprimis eoque magis, cum comperissem eam filiam domini Luttae esse.

Ancillae servique laete narrabant de multis rebus, quae sibi advenissent in pratis post meridiem laborantibus. Cum autem ego quoque pauca verba facerem cum illa dominula pulchra, quae contra me sederet, servus quidam repente exclamavit se celeriter cognovisse me esse puerum Curiensem e modo loquendi meo sonosque enuntiandi. Ad quod respondi me non ab origine esse Curiensem, sed Bernae esse natum et biennio post cum parentibus domicilium mutavisse et Curiam venisse. Et ille: "Ubi tu natus sis, nihil refert ad modum tuum loquendi, sed ubi vixeris, postquam duos annos sis

natus, namque ante aetatem annorum duorum loqui nondum didicisti."

Post cenam dominus Lutta mihi dixit munus meum futurum esse ab crastino die vaccas quinque in pascuis prope ecclesiam sitis pascere. Vaccas bonas bestias esse neque umquam pascua relinquere, attamen se malle quemquam apud vaccas manere usque ad tempus, quo iterum in stabulum agerentur, ut ibi mulgerentur. Munus meum non esse difficile, cum locus pascuus esset saeptus. Maximi momenti esse me versari sub divo (frische Luft), ut convalescerem et puer sanus et robustus ad parentes reverterer.

Postero die mane cum surrexissem et per fenestram spectarem, caelum vidi opertum et pluens nebulamque pendere ad montes.

Descendi in coquilinam ad ientandum et consedi ad longam mensam. Post ientaculum dominus Lutta mihi dixit: "Hodie vaccae tibi erunt sub pluvia pascendae. Vidistine pluviam?" - "Vidi" ego respondi. "At bonam lacernam (Mantel) pileumque magnum tibi dabo, ut bene sis protectus ab umore et speramus fore, ut paulatim pluvia desinat."

Subridens respondi me pluviam non metuere et bono animo velle vaccas pascere. Et dominus Lutta: "Bene locutus es, mi Emanuel, et audio te esse puerum fortem." Servi et ancillae etiam laudaverunt verba mea.

Post ientaculum lacernā et pileo munitus exii in aream (Hof), dum servus ille, qui vaccas pastum egerat, antequam advenissem, nunc quinque vaccas e stabulo in locum pascuum vicinum agit. Tum ego quoque locum pascuum intravi ad vaccas pascendas. Ad saepem adnixus harmonicam inflandam (Mundharmonika), quam semper mecum habebam, e sine (Tasche) prompsi et memor matris, quae tam procul a me esset, modulos tristes cecini, dum vaccae tranquille herbas velliant. Quapropter vaccis invidebam, quippe quae nullam matrem desiderarent magnaque cum voluptate famem bonis herbis explerent, at ego matris desiderio macerarer. Ne filo aëno (Telephon) quidem matris vocem audire poteram per totam aetatem. Nam parentes non habebant instrumentum ad procul homines advocandos, quod LXX annis ante non habebant nisi homines divites.

Per complures dies continuos pluebat et pluebat continuo, et ego fortiter perdurabam in loco pascuo tempus matutinum

et tempus postmeridianum, bene protectus quidem lacerna pileoque.

Aliquando autem post illos dies pluviosos cum in coquilina ad mensam longam sedebamus cenantes, dominus Lutta fortudinem meam laudans mihi aperuit: "Cras, mi amice, caelum erit serenum favono (Föhn) flante et tu veheris mecum pilento (Kutsche) in altam vallem nomine "Avers" usque ad vicum, qui est omnium vicorum in Europa sitorum altissime situs, qui appellatur "Juf". Opus erit nobis prima luce surgere, ut quam primum possimus proficisci. Negotia ibi habeo quaedam neque ante tempus postmeridianum domum revertemur." Laeto animo respondi subridens me gaudere varietate.

Ut dominus Lutta praedixerat, matutino tempore posteri diei caelum serenum erat; sol iam erat ortus, cum pilentum conscendimus equo iunctum. Paulo post vicum "Andeer" pervehebamur et media hora post intravimus in silvam abietum, quae est supra "Andeer", Rhenum fluvium prope stridere audientes. Inde reliquimus nostram viam famosam, quae per iugum nomine "Julier" usque in Italiam ducit fuitque nota iam Romanis antiquis. Nos autem intravimus viam in vallem "Avers" ducentem, parte sinistra incipientem. Inde semper modice subvecti (mässig hinauffahrend) semper dextra parte Rheni "Avers" (Averserrhein), advenimus tandem ad altitudinem supra zonam abietum (Waldgrenze) eminentem, ubi nullam iam arborem vidimus, pascua macra tantum pertinentia usque ad pedes rupium. Hora circiter post advenimus ad pontem ligneum ad sinistram partem Rheni ducentem. Quem pontem transvecti constitimus et dominus Lutta dixit: "Hic tu cum equo manebis, dum ego in vicum "Juf", quem illic in alto vides, ascendo. Hora vel maxime hora et media post revertar. Mane hic cum equo et me exspera, quaeso." - "Age, domine Lutta, quod agere debes! Ego te exspecto." Tum amice subridens abiit. Paulo post oculis persequens crevi eum longiore magis magisque spatio interiecto paulatim corpore minorem factum semper altius pascua conscendere usque ad punctum, quo in domum aliquam intraret. Solus relictus eram in illa valle plane deserta, ubi nullum hominem, nullum animal viderem, neque ullum sonum nisi strepitum aquae Rheni super lapides fluentis. Equus quoque obdormivisse mihi videbatur, qui adhuc pilento erat iunctus.

Subito equus, somnio fortasse territus, passum protinus


fecit, ita ut pilentum paulum moveretur. Ego quoque, quasi e somnio exterritus, surrexi, appropinquavi capiti equi eiusque nasum mulcere temptabam, ut animal sedarem. Quod stulte a me erat actum; nam equus, magis territus quam ante somnio, hiante ore manum meam mordere petebat. Fortuna mihi prospera erat et in tempore manum retraxi et resilui. Tum aliquos passus ab equo remotus consedi in herbosa ora viae et equum tamquam inimicum spectabam, etsi prorsus requieverat neque meminisse videbatur, quid paulo ante accidisset. Mirabar, cur dominus Lutta nondum reverteretur et timebam, ne quid adversi ei accidisset mihihique hic in vasta et deserta valle soli remanendum esset, ita ut denuo tristis fierem matrisque longinquae reminiscerer, quae me hic solum esse nesciret, cum repente - o rem fortunatam! - procul in alto hominem conspexi vidique eum esse virum, pauloque post dominum Luttam esse cognovi, qui longis passibus festinanter per pascua decurreret. Iamque a me non erat tam procul, et audivi eum hilariter salutantem orantemque, ut longam absentiam suam excusarem, egoque subridens ei nutum dedi significans me plane esse contentum et hilarem. Deinde cum propius venisset, clamavit hortans, ut pilentum conscenderem, quod celeriter nobis domum esset revertendum; quae res iterum laetum me reddidit; nam quamvis ad matrem nondum mihi reverti liceret, tamen mox me futurum esse apud bonam familiam Luttae laetabar excepta filiola pulchra domini Luttae, quam iterum videre non cupiebam, nam nudius tertius (vorgestern) mane in cubiculum meum intraverat et operimentum lecti mei sustulerat, ita ut me dormientem et plane nudum videret. Statim excitatum me vidit erubescens, sed ne ullum verbum faciens ridens cubiculo exiit. Hodie scio decem annis post futurum fuisse, ut non impunita evaserit. Feliciter evenit, ut non cottidie vaccas pascere deberem, quod taedium me cepisset versandi totum diem in loco pascuo prope ecclesiam sito, sed servus ille, qui vaccas mane e stabulo pastum duceret, saepe diutius in loco pascuo manebat aut vaccae ibi relinquebantur solae, ut sine pastore pascerentur. Mihi autem licebat, ut in fenicio (Heuernte) servos ancillasque adjuvarem, quod munus mihi multo erat ludicrius (kurzweiliger), quamvis sole calido nos omnes multum sudaremus vesperique fatigatione paene concideremus.

Sic mihi vel vaccas pascenti vel in fenisicio adiuvanti transierunt menses Iulius et Augustus, cum aliquando dominus Lutta mihi rem iam diu speratam aperuit ferias meas praeteriisse, quia Curiae scholae inciperent perendino die, et crastino die se pilento me vecturum ad stationem "Thusis", ut via ferrata Curiam domumque reverterer. Quo nuntio evocatam laetitiam meam domino Luttae dissimulavi, ne nimis ingratus ei viderer neve animum eius offenderem, at illa nocte in lecto meo laetitia commotus somnum vix capere poteram.

Crastino die mane in magna coquilina ad longam mensam sedens ad ientandum, non ignarus ultimum me ad hanc mensam ientare, tristis essem factus, nisi prospectus amatae matris meae eo ipso die videndae et osculandae me laetum reddidisset. Foris in area equum audivi hinnientem et pilentum parari, et dominus Lutta, qui contra me (gegenüber) sederet, me spectabat et subridens interrogavit, num ad proficiscendum paratus essem, ad quod respondi me esse beatum, quod mox apud matrem futurus essem, sed tristem, quod abiturus essem ab eius domo.

Paulo post pilentum conscendimus, ut ad stationem Thusis veheremur. Ibi vicissim salvere iussimus (sich verabschieden) et dominus Lutta basium mihi dedit in frontem. Deinde currum ferriviarium conscendi. Difficile est dictu, quam beatus fuerim, cum Curiam domumque veherer. In platea (Bahnsteig) stationis Curiensis mater me exspectavit. Vix eam videram, cucurri in eius amplexum. Basiis datis lacrimisque mutua laetitia promotis domum petivimus.

Emanuel Bernard



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

Datum und Unterschrift

AZB

8050 Zürich

2/92

IDIBVS IVNIIS

MCMXCII



RVMOR VARIVS



TOMVS 15

FASC. 93